Quelle:
Copyright:



Item protestatur Dominus Praesidens et sancta Synodus, quod per lectionem factam statuti provincialis situati sub Rubrica de foro competenti, et alterius situati sub Rubrica de immunitate Ecclesiarum, non recipit, nec approbat illa statuta, nec extendit ad (n) civitatem et Dioecesim Patavienses, sed quod super illos consulatur Reverendiss. in Xto Pater et Dominus noster Dominus Georgius Epiſc. Patavienſis, et fiat relatio Suae voluntatis super praemiſſis in proximo concilio provinciali celebrando.

(n) supple: ad.

Item praefata Synodus committit omnibus et singulis Visitatoribus praenotatis, ut ipsi in ipsorum visitationibus inter cetera exequantur provinciale Statutum situatum sub Rubrica de cohabitationibus Clericorum et mulierum, ac etiam provinciale Statutum sub Rubrica ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur, et in illorum executionem procedant juxta dictorum Statutorum continentiam et tenorem.

Enjungit etiam Synodus antedicta omnibus Ecclesiarum Parochialium Rectoribus presentibus et absentibus, procuratoribus et aliis praefatae civitatis et Dioecesis observantiam Statuti provincialis situati sub Rubrica de Parochiis, et committit Archidiaconis et Decanis executionem et practicam Statuti praedicti.

Testes vero Synodales pro isto anno eligendi et nominandi per dictum Vicarium generalem et suos convisitatores, quibus super hoc plenam tributi facultatem diligenter attendant ad provinciale Statutum sub Rubrica de jure Patronatus situati, et tales gregiores denuntient, et referant in futura (o) Synodum (o) Episcopalibus et Visitatoribus.

(o) futura Synodo.